



Wg. 40.







4

OBSERVATIONES INAUGURALES IURIDICAE
DE
CONTRACTV
ASSECVRATIONIS

QVAS
SVB AVSPICIIS REGIIS
AVCTORITATE
INCLYTI IVRECONSULTORVM ORDINIS
DIE XXVII. OCTOB. MDCCLXXXVIII
AD
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES OBTINENDOS

PVBlice DEFENDET
FRIDERICVS HERMANNVS OTTO
BREMA-SAXO

GOETTINGAE,
Litteris BARMEIERIANIS.

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO
LIBERAE AC INCLYTAE
SACRI ROMANI IMPERII
REIPUBLICAE BREMENSIS
S E N A T V I
V I R I S
ILLVSTRI BV S, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSIMIS,
CONS VLTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS,
GRAVISSIMIS
DOMINO
P R A E S I D I
DOMINIS
CONS VLIBVS
DOMINIS
S Y N D I C I S
DOMINIS
SENATORIBVS

P A T R I A E P A T R I B V S
RELIGIONIS, LIBERTATIS ET IVSTITIAE
DEFENSORIBVS VIGILANTISSIMIS
MV SARVM TVTORIBVS OPTIMIS
PATRONIS AC FAVORIBVS SVIS
SYMMMA REVERENTIA IN AETERNVM COLENDIS
HOCCE SPECIMEN ACADEMICVM

SACRVM FACIT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR

PROOEMIUM.

Meditanti mihi, quale pro summis in utroque iure honoribus rite capessendis ederem doctrinae specimen, sese maxime commendabat materia asecurationis, quæ sit digna, in qua vires meas periclitarer. Naturam itaque, formam, effectus hujus contractus deducere consilium capiebam. Sed ecce materia tam vaga erat, ut aut librum scribere mihi opus fuisset, aut jam a multis aliis et multo vberius dicta tantum repetere potuisssem. Accedebat, quod V. D. amicus suavissimus, GONDELA dissertationem suam inauguralem de contractu asecurationis in lucem ederet. Quibus permotus a coepto consilio recessi, et loco generalis pertractationis huius contractus quaestiones quasdam speciales disquirere proposui. Sisto itaque Tibi B. L. nunc sequentes duas, quas, si vires magis faueant, plures sequentur. Ignoscere mihi benigne velis, si quaedam minus recte a me dicta invenias.

 QVAESTIO PRIMA

 POLIZZA NUM SIT INSTRUMENTUM GVARENTIGIATVM.

I.

Scriptores celeberrimi ^{a)}, qui partem iuris nautici, quae concernit assecurationem, tractauerunt, una veluti voce ob vtilitatem ac fauorem commerciorum, ne litium ambagibus innexi mercatores tempus et pecuniam profundere cogantur, instrumento assecurationis (polizae) vim atque efficaciam tribuunt instrumenti guarentigiati, ita vt cambii literarum instar paratam secum habeat executionem, quam nullae exceptiones, nisi in continenti sint liquidae, impedire debeant. In hoc fere omnes consentiunt, quod polizza paratam habeat executionem; sed mire discrepant in exceptionibus contra hoc instrumentum concedendis, aliis auctori, aliis reo fauentibus. Quae opinionum diuersitas, et quod toto die de hac quaestione, an contra polizzam exceptiones locum habeant, in iudicio disceptatur, me commouit, vt paululum hac de re differerem.

II.

^{a)} STYPMANN *de iure nautico et maritimo*. P. IV. c. 7. n. 420. et seqq. 496 et seqq. KVRICKE *in diatriba de assecurationibus*, M. L. SEELE *Diff. de instrumento assecurationis vulgo polizza*. Baldasseroni *delle assicurazioni marittime*. P. VI. T. 12.

II.

Quod ad me attinet, nullus dubito, illorum amplecti sententiam, qui tantam efficaciam polizzae tribuunt. Meo quoque iudicio paratam secum habet executionem sub quadam limitatione tamen intelligendam. Non absolum mihi videtur, tum naturam et requisita instrumenti gaurentiati, tum essentiam polizzae hoc loco perscrutari. Quibus perspectis melius dijudicare possumus, quatenus polizza cum instrumento gaurentiatio conueniat, quaenam exceptiones contra illam sint admittendae, et quaenam reiciendae.

III.

Instrumentum in sensu lato est quicquid instruit causam. In sensu strictiori est scriptura, quae ad fidem de veritate facti faciendam idonea est. Strictissime accipitur pro scriptura ad fidem de veritate facti faciendam confecta. Diuiditur in publicum et priuatum. Publicum est quod a persona publica qua tali est confectum vel confirmatum. Priuatum est, quod a priuato confectum est. Nae, si subscriptione trium testium nituntur, quasi publice confecta accipiuntur a).

IV.

Ad effectum quod attinet, secundum ius commune quidem publica instrumenta, si inter eos, quorum intuitu sunt confecta, producantur, plene probant, nec recognitio desideratur a). Quasi pub-

A 4

a) l. II. C. qui pot. in pign. hab.

a) arg. l. 31. C. de donat. MERVIVS P. IV. decis. 147, n. 9.

publicai. e. secundum l. 11. C. qui potior. in pign. subscriptione trium testium munita, si ad minimum a duobus testibus agnoscuntur, parem cum publicis merentur fidem: sin testes iam sunt mortui, ideoque agnoscere non possunt, vim instrumentorum priuatorum tantum habent b). Priuatum tunc plene probat, si contra scribentem producitur, et ab illo recognoscitur c). Ea vis inerat instrumentis iure Romano. Nequaquam vero hoc iure ex instrumentis etiam liquidissimis processus executiuus inritui poterat, sed semper ordinatio processu erat agendum d). Hodie autem ex consuetudine totius propemodum Germaniae e) instrumentis alia accessit virtus, vt ex iis non tantum probetur, verum etiam parata detur executio, dummodo sint liquida et recognita. Quum enim obstagia aliique modi propria vi prosequendi ius suum, quibus tamen maiores nostri, vt pecunias in mutuum datas securas redderent, usi erant, legibus Imp. f) prohiberentur, sancitum est g) eapropter, vt chirographa eiusmodi clausulis executiuus munita mandatis sine clausula locum darent. Plures sequentium temporum ordinationes eo tendunt, vt ex instrumentis guarentigiatis quam paratissima detur executio. Cuius ratio nulla alia est, quam promouenda publica

b) c. 2. X. de fide instrum.

c) ENGELBRECHT *Diff. de recognitione instrument.* §. 17.

d) l. 1. 2. C. de except. rei iud. l. 9. C. de O. et A. l. 40. C. de prohib. sequestr.

e) LAVTERBACH *Colleg. theoret. pract. Lib. XXII. Tit. IV. §. 46.*

f) O. P. 3. 1577. Tit. 17. §. 10. R. D. a. 1600. §. 30. et seqq.

g) C. O. C. P. II. Tit. 25. §. 3.

blica fides. Originatenus non nisi ex instrumentis super mutuum confectis processus executivus instituitur; sed nullum dubium est, quin ex instrumentis in aliis et bilateralibus contractibus confectis quoque, dummodo legitimis gaudeant requisitis, executive agi possit *h*)

V.

Vt vero ex instrumentis executive agatur, ante omnia requiritur, ut liquida sint. Liquidum est, ex quo apparet, quid, quale, quantum, cui; a quo, quo tempore et ex qua causa debeatur. Quae ergo omnia, quibus actio consistit, continent, nullisque defectibus, quibus infirmentur, laborant, Instrumentorum quarentigiatorum nomine veniunt. Videamus nunc, an polizza istis requisitis gaudeat.

VI.

Polizza nobis est instrumentum de periculo avertendo contractus secundum formam ordinationibus praescriptam usu ac inter mercatores receptam probationis gratia confectum. Formulae polizzarum multifariae sunt, et quisvis fere locus maritimus propriam habet ab aliis diversam. Obiectorum quoque et casuum tanta est diversitas, ut fere impossibile sit formulam ad quemvis singularem casum aptam concipere. Nec enarrabo omnia et singula polizzae contenta. satis mihi visum est de praecipuis et maxime visitatis mentionem facere. Sequentia ut plurimum adesse solent.

I. nomen assicurantis, vel plurium, si quis multos acceperit.

2.

h) de PUFFENDORF Tom. III. obs. 210. BERGER *elem. proc. exec.* §. 29. et seqq.

2. nomina nautae et nauis *a*).
3. specificatio loci a quo et ad quem *b*).
4. obiectum assicurationis *c*).
5. nomina assicuratorum *d*).
6. tempus, ex quo assicuratio incipere, et in quo finire debeat *e*)
7. confessio super quantitate et numeratione pretii (*der Præmie*) *f*).
8. subscriptio assicurantium cum expressione quantitatis et quousque periculum in se recipere velint *g*).
9. determinatio periculi ab assurectore suscipiendi,
10. omnes aliae clausulae et conditiones, de quibus contractus conveniunt *h*).

VII.

- a*) PREVSS. *See-Recht* c. 6. a. 3. Ord. v. AMSTERDAM art. 2. HAMB. T. I. a. 4. n. 5. *Ordonnance de la marine de LOUIS XIV.* L. 3. T. 6. a. 3. *Recopilacion de Leyes de las INDIAS*, Lib. 9. T. 39. Ley 55. Ord. v. MIDDELB. a. 9. ROTTERDAM. a. 71. SCHWED. A. O. art. 4. §. 2. v. EMERIGON *traite des assurances et des contrats à la grosse*. ch. 2. sect. 7. §. 1.
- b*) PREVSS. S. R. c. 6. a. 3. Ord. v. MIDDELB. a. 9. AMST. a. 2. HAMB. T. I. a. 4. n. 4. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 3. Ord. v. ROTTERD. a. 72. SCHWED. A. O. art. 4. §. 2.
- c*) HAMB. A. O. T. I. a. 4. n. 2. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 3. SCHWED. A. O. art. 4. §. 2.
- d*) PR. S. R. c. 6. a. 3. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 3. SCHWED. A. O. a. 4. §. 2.
- e*) *Ordonnance de la marine* ibid. v. EMERIGON c. 1.
- f*) HAMB. A. O. T. I. a. 4. n. 6. SCHWED. A. O. art. 4. §. 2.
- g*) PR. S. R. c. 6. a. 4. *Ordonnance de la marine* c. 1, v. EMERIGON c. 1.

VII.

Ex dictis quidem apparet, quid, quale, cui, a quo, quo tempore et ex qua causa debeatur, e polizza percipi posse. An vero ex instrumento hoc semper liqueat, an et quantum sit soluendum, quaestio est, quae non omnimodo potest affirmari. In contractu assicurationis quidem assicurans periculum navis vel mercium in se suscipit, atque assicurato casu sinistro contingente indemnitate promittit. Quum ergo assicuratus damnum sentiat, pretium ab assurante deperditarum rerum exigit. Si illarum aestimatio in polizza est expressa, et totalis interitus contingit, in hoc instrumento quoad quantitatem debiti se fundare potest, et assicuratores absque ulla liquidatione summam conveniam (distrahis quidem 2 pr. C.) solvere debent, siue maior, siue minor sit valor rei assicuratae, quia quoties assicuratus aestimavit suas mercēs pro certo pretio, et pro illa summa et quantitate assicurari obtinuit, et solvit praemium eiusdem summae assicuratoribus, ad solutionem quantitatis conveniam tenentur assicuratores. Salva tamen semper assicuratori manet exceptio, si dolus assicurati in aestimatione interuenerit a). Sin assicurator neque ad certam usque summam sese obligauerit b), neque mercium aestimatio polizza sit inserta c), (quod omnino omitti potest) necesse est assicuratus ad

a) *Ordonnance de Louis XIV. L. 3. T. 6. a. 8. BALDASSERONI. P. VI. Tit. I. §. 19.*

b) *POTHIER traite des obligations n. 75.*

c) *STYPMANNVS et KYRCKE ordinationem Philippicam semper ante oculos habentes, quae autem pro Antwerpiensibus conscripta, eosque igitur solummodo obstringere potest, taxationem mercium vtut essentialē requirunt Sed vid. EMERIGON ch. 9. sect. 3.*

pretium illarum probandum aliis vtatur modis v. c. libris suis mercatoris, rationibus a venditore acceptis (*factura*) aliisue probandi modis, quibus ipsis exceptiones tamen opponi possunt. Sic v. c. accedere potest, vt affecuratus merces pro pretio iusto maiori emerit: in contractu emtionis venditionis modica laesio licita est, modo limites legibus praescriptos non excedat, nec dolus adhibitus sit. Sed affecurator ad iustum ac communem rei valorem tantum solvendum obligatus est *d*). Si affecurator hoc in continenti probare potest, exceptio eius admittenda est ad effectum impediendae executionis: sin nequit, reiicienda est ad reconventionem. In totali rei interitu respectu quantitatis debiti non tam difficilis est liquidatio; sed, si nec totalis rei interitus contigerit, nec affecuratus res ex praesumptione legum pro deperditis habere et affecuranti relinquere (*abandonniren*) possit, sed tantum ex laesione rei damnum patiatür, (quod v. c. iactus maris factus sit); adeoque ad indemnitatem solummodo agere valeat, tunc certe determinatio quantitatis debiti multis difficultatibus obnoxia *e*). Antequam vero illa liquidatio facta est, affecuratus e polizza executivae agere nequit. Oportet itaque documenta, quae huc pertinent (v. c. rationes, quae ab artisperito in distributione damni, vel respectu navis et mercium (*havariae grosse*), vel respectu mercium tantum (*havariae particuliere*), secundum cuiuslibet partem confectae sunt (*Dispatche*) vna cum instrumento affecurationis producere. Quibus enim neglectis affecurator summo iure excipit, quod nondum

li-

d) BALDASSERONI P. VI. Tit. 2. §. 20.

e) Imo in casu *havariae grossae*, de quo hic loquimur, fieri potest, vt maiorem summam affecurator solvere debeat, quam affecurare voluit.

liqueat, quantum deberi. Ergo iam hoc respectu polizzae exceptiones opponi possunt, sed alias atque grauiore etiamnum in medium proferemus rationes, ob quas contra polizzam excipi atque executio impediri potest.

VIII.

Contractus de auertendo periculo est contractus incertus ac conditionatus, et instrumentum super illo confectum varias, partim in ipso expressus, partim vero secundum ordinationes semper tacite subintellectas conditiones *a*) in se continet. Ex conuentione autem conditionali non prius obligatio adest *b*), nec ad illius implementum agi potest, quam existente illa conditione, et obligatione sub conditione vel modo confecta ante probationem impletae conditionis ex illa executiue agi nequit *c*). Quibus rationibus permoti asserere non dubitamus, assecurantem non nisi existentibus et impletis conditionibus a parte assecurati teneri, et priusquam id ostensum fit, semper contra assecuratos exceptionibus et litis contestatione negatiua *d*), valide uti.

IX.

- a*) CLEIRAC *Guidon de la mer*, ch. 3, art. 2.
b) §. 4. I. de V. O. l. 213, D. de V. S.
c) I. CLAPROTHS *Einleitung in den buergerlichen Proceß* P. II, sect. 3, c. 8. §. 160.
d) Denegatio assecuratoris ea praestandi, ad quae polizza sese obligauit, non semper, ut vulgo in praxi contendi solet, exceptio est, sed plurimis casibus in negatione eius fundatur, quod assecuratus a sua parte ab initio contractus ut verum asseruit, v. c. assecuratus dixit, nauem assecurandam adancoras leuandas paratam, et iamiam profecturam esse. Assecurator, si comperisset, nauem post aliquos demum menses, medio itaque autumno esse profecturam, risico propterea auctum non uisi pro maiori praemio in se suscepisset, vel contractum plane non iniuisset. Hoc casu omnino admittendus est negans:

Conditionum autem : quae in hoc contractu obveniunt, praecipuae sunt haec: 1) quod vere interfit assicurati, 2) quod damnum in re assicurata infortunio maris senserit. Quas condiciones impletas esse, semper ab assicurato probari debet a). E polizza vero minime apparet, quod impletae sint.

tempore initii contractus nauem ad aneoras levandas paratam fuisse.

Hac negatione, quae vera est litis contestatio negativa, conditionem suam multo meliorem facit, quam si excepisset:

nauem secundo vel tertio demum mense post initium contractum esse profectam,

et sic dolum, inductionem, vel aliud simile, nullitatem itaque polizae opposuisset. Tunc enim exceptionem suam probare, liquiditatem eius ostendere, postremo omnia facere deberet, ad quae reus, qui in exceptione aliqua se fundat, obligatus est. Omnes has difficultates litis contestatione negativa evitare potest. Nunc actor se fundans in polizza assertorum, quae in hoc instrumento continentur, si dubium de illis mouetur, veritatem probare debet. Si hoc nequit, assicurator a iudicio liberandus est. In his principiis se fundat sententia interlocutoria superioris, quod Bremae viget, iudicii in causa *Thornion contra secundam, tertiam et quartam societatem assicuratoriam*. Qua parti assicuratae iniungitur probatio:

nauem assicuratam ad iter eodem modo, quo in polizza declaratum, faciendum destinatum fuisse.

Et recte sic iudicium indicavit; nam supradicta tertia societas assicuratoria negauerat assertum in polizza contentum:

nauem ad iter eo modo, ut in polizza declaratum, faciendum destinatum fuisse.

Litem itaque negativae intuitu huius asserti contestata erat.

a) Ord. v. AMST. art. 47. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 56. 57. HAMB. A. O. T. 13. a. 2. SCHWED. A. O. art. 14. §. 3.

X.

Ante omnia affecuratus interesse probare debet, i. e. quod res affecuratae adeum pertinentes periculo determinato expositae fuerint. Pertinere autem hoc loco non solum id dicitur, quod ad aliquem iure domini pertinet, sed aliquali interesse. Nihil ergo interst, siue res ad affecuratum pertineant iure domini, siue iure possessionis aliquo sine iure pignoris a). Ratio, cur affecuratus risico probare tenetur, est quod affecurationes fiunt, vt affecurati seruentur indemnes, non vt lucrum faciant. Contractus enim, quem hic contemplamur, eius est conditionis, vt sine periculo maris subsistere nequeat. Quae de causa plerisque in ordinationibus maritimis cautum b), ne affecurationes sponsonum instar ad interesse vel non interesse fiant. Quod factum, ne affecuratio mereatoribus modus sit lucrandi, hac ratione naufragia promoueantur, ac postremo ex tam utili negotio tanta mala in rempublicam redundent. Illae vero leges, quae contractum affecurationis in sponsonem transire nolunt, propterea non simul prohibent pactum, ne alia probatio interesse, quam polizza exigatur. Quod pactum omnino licitum esse, affirmare haud dubitamus c), quamquam non desint d), qui pro contraria certant opinione

a) STRACCA de affecurat. gloss. 10. n. 2. STYPMANN. P. IV. c. 7. n. 400.

b) Sic in Anglia lege prohibitum anno 1746. vid. etiam Ord. v. ROTTERD. art. 23. PR. S. R. e. 6. a. 10.

c) Decisiones rotae GENVENSIS. dec. 62. d. 4. dec. 78. n. 8.

d) POHIER des obligations n. 47. d. 144. VALIN Commentaire sur l'ordonnance de la marine de 1681. art. 57. p. 129.

opinionē. Pacto hoc adiecto autem semper admittendus affecurator, qui contrarium probare velit e). Ex regula vero affecurato incumbit onus probandi, quod eius adsit interesse. Roccus f) quidem dicit, nisi polizza aliud sit conuentum, affecuratoris esse id probare. Sed nemo non intelliget, Roccum hic in falsa versari opinionē. Affecuratio enim, vt diximus, contractus est conditionatus, qui non aliter habet perfectionem, quam si res affecurata periculo maris exposita est. Affecuratus ergo semper probare debet quod conditionem hanc impleuerit. *Ordo Affec. Hamb* g) hunc in finem praescribit, vt affecuratus, etsi clausula polizae sit inserta, ne casu damni non nisi hoc instrumentum producere teneatur, attamen non modo naufragium, sed et ex productione apocharum nauarici (*Connossement*), aut, si haec non adsint vel produci nequeant, alia ratione interesse probet, nisi polizza expressum sit, vt ne apochae quidem nauarici exigantur, quo casu tamen in liquidatione hauariae nihilominus necesse sit, aliae probationes ac documenta producantur.

Interesse vero varia ratione doceri potest. Si de nauī affecurata quaestio est, praecipue docetur per probationem tituli, quo vel dominium, vel saltem periculum nauis in affecuratorem translatum

e) EMERIGON. ch. II. sect. 8.

f) *de affecur.* not. 10. 97.

g) Tit. 13. art. 2. LANGENBECK *Anmerkungen ueber das Hamburgische Schiff- und Seerecht.* Suppl. VI. p. 382. 383. 414. *Affecuranz und Hauarey Ordnung vor saemtlich Koemigl. PREUSSISCHE Staaten* §. 175. et SCHWED. A. O. a. 14. §. 3. idem quod *Ord. A. Hamb* praescribunt.

tum est *h*), Intuitu mercium autem risico probatur per apochas nauarci. Quae apochae optimam hac in re probationem constituunt, et raro exceptionem admittunt *i*). Sed haec probatio per apochas nauarci non vnica est, nec alias excludit *k*).

XI.

Quin assicuratus casum sinistrum probare debeat, nemo in dubium vocabit. Omnes scriptores hac de re consentiunt *a*). Probatio autem casus sinistri requisitum est tam necessarium ac essentialia de auertendo periculo contractus, vt pactum, assicurans affirmatione assicurati sola contentus esse debeat, plane illicitum sit *b*). Nemo enim in propria causa *c*) et quidem solus testari potest. Omnino autem valet pactum de stando simplici scripturae nauarci ad casum sinistrum probandum *d*). Quo casu tamen assicuratori integrum est probare contrarium, quod, si in continenti fieri potest, executionem impedit, sin in continenti expediri nequit, in iudicio ordinario

h) MAGENS *Versuch ueber Assicuranzon etc.* c. 59 n. 3.

i) POTHIER *des contract. marit.* n. 144. VALIN *des assur.* art. 57.

k) BALDASSERONI P. VI. Tit. I. §. 39. et seqq. de LVCA *de credito* disc. 106. n. 7.

a) *Decis. rot. GEN.* dec. 3. STYPMANN. P. IV. c. 7. n. 474. ROCCVS *de assur.* not. 58. CLEIRAC *Guidon de la mer.* ch. 18. a. 2. MARQUARDVS *de iur. mercat.* L. 11. c. 13. n. 72.

b) EMERIGON ch. 14. sect 3 §. 1.

c) l. 10. D. l. 10. C. de testibus.

d) CASAREGIS *de commercio* disc. 1. n. 46.

rio demum institui potest. Probatio casus sinistri plerumque fieri solet per declarationem iuram de damno et casu fortuito in itinere facta a nauarcho et non nullis testibus (v. c. nautis) coram iudice, notario vel consule in loco, quem primum attigerint, factam (*Verklarung*) e). Regulariter quidem casus fortuitus per *consulatum* probari debet, et, si sine necessitate hoc neglectum, suspicio et praesumptio oritur, quod praetensum damnum navis non acciderit ex dicta causa f); sed nihil hoc impedit, quo minus illo deficiente probandi modo aliis affecuratus uti valeat, modo suspicio doli aliena sit g). Et quum ex natura negotii talis probatio perdifficilis sit, levior esse potest. In materia enim affecurationis probationes, quae haberi possunt, admittuntur, ita ut et vnus haalis vel plurium inhabilium testimonio credatur h). A probatione autem casus sinistri affecurator liberatur, si secundum leges interitus iam praesumitur i). Nam hoc casu affecuratori, si contrarium contendit, incumbit onus probandi.

XII.

Hae aliaeque conditiones contractum affecurationis faciunt incertum, ita ut non nisi existentibus vel impletis conditionibus perfectio-

e) CASAREGIS disc. 2. n. 3. ROCCVS *de affecur.* not. 59. n. 202.

f) CASAREGIS disc. 142. n. 10. 11.

g) EMERIGON ch. 14. sect. 3. §. 2.

h) CASAREGIS disc. I. n. 39. 42. disc. 2. n. 12. disc. 10. n. 4. *Decif rot.* GEN. dec. 36. n. 4. 5. MARQUARDVS, L. II, c. 13. n. 75.

i) v. Ord. v. AMST. art. 29.

fectionem consequatur. Qua de causa mihi videtur, omnes illas exceptiones, quae ex ipso contractu vel scriptura deriuant, semper affe-
 securatis opponi posse. Exceptio enim, quae oritur ex eodem instru-
 mento affe-
 securationis, impedit executionem eiusdem instrumenti, et
 ex ea scriptura, vbi oritur actio, oritur et exceptio a). Affe-
 securator
 conuentus merito excipit, contractum, ex quo agatur, esse condi-
 tionatum, et nisi post probationem risici et casus sinistri affe-
 curato
 nihil deberi. Si naus iter in polizza determinatum facere debuisset,
 omnino valet exceptio vel potius litis contestatio negatiua, praescri-
 ptum iter non fecisse. Si naus iter sub praesidio (*Convoje*) facere
 debuisset, valet exceptio, quod sola vel sine praesidio iter fecisset.
 Si merces affe-
 curatae sint in certa naue transportandae, et sine ne-
 cessitate ac sine consensu essecurantium vel a principio alia naus ad-
 hibeatur, vel progressu itineris merces in aliam nauem transporten-
 tur, affe-
 curator omnino hac exceptione vti potest. Si affe-
 curatus
 coram iudice ordinario agat, affe-
 curans recte opponit, polizza esse
 conuentum b), vt primum coram arbitris res decidatur. Opponi
 quoque saepenumero ab affe-
 curatore potest, casum, quo actor da-
 num passus, non esse eius naturae, vt secundum leges vel poliz-
 zam

a) Roccus n. 87. et resp. 34. n. 6.

b) Plerisque formulis praescribitur eiusmodi decisio per arbitros. Sic
 illa, qua nos vtimur, continet: — — *Wollen uns, im Fall eini-
 ge Differenzen vorkommen mogten, dem Urtheil von drey unparthey-
 ischen Kau/leuten unserer Boerse unterwerfen, und was dieselben oder
 zuegene von ihnen aussprechen werden, soll von beiden Seiten fuer
 recht erkannt werden.*

zam ab assureatore restitui debeat. Sic et quando nullitas iam liquet ex actis, quod v. c. assureatus tempore factae assureationis casus sinistri notitiam iam habuisset, vel alio modo in dolo esset versatus, ea attendenda est ad effectum impediendi executionem sententiae.

XIII.

Omnibus hisce in casibus exceptiones ex contractu ipso derivant, quod vel sit nullus, vel non impletus. Aliae vero exceptiones, quae solum ad impediendam opponuntur executionem, et aliquid dubii habent, non sufficiunt a). Hae enim merito in reconvencionem sunt reiiciendae, et provisionalis sententia interim ferenda est. Nam, nisi eiusmodi exceptionibus, quas modo diximus in processu executiuo etiam polizae opponi posse, utantur, nec polizza ratione formae externae defectibus laborat, quod v. c. quid deletum sit, assureatores tenentur primum soluere, et tunc demum litigare. Ordinationes fere omnes b) et formulae polizzarum in eo conveniunt, ut intra certum tempus, postquam de casu certiores facti, assureatores solvere teneantur. *Ord. Assur. Amst. c)*. hunc in finem praescribit, ut polizza, apochis nauarci, aliisque instrumentis, quae ad probationem hic requiruntur, exhibitis, et postquam assureatus probauerit quoque, quod iam ante tres menses assureator de damno certior factus sit, pretium soluendum deponatur, quod assure-

a) CASAREGIS disc. I. N. 94. EMERIGON ch. 20. sect. 4. §. 2.

b) Ord. v. MIDDEL. art. 34. STATV. GEN. L. 2. c. 4. *Ord. v. ROTTERD.* a 273. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6, a. 61.

c) art. 47.

curatus etiam, si velit, possit acceptare cautione sufficienti data cum
vsuris 8 pr. C. illud restituendi in casu, si causa caderet.

QVAESTIO SECVNDA

QVANDO RISICO VEL PERICVLVM ASSECVRATORIS INCIPIAT,
ET QVANDO FINIATVR.

I.

Ad initium finemque risici, quod assecratoribus currit, recte de-
finiendum, ante omnia videndum est, vtrum assecratiō ad certum
ac limitatum tempus facta sit, an non. Si assecratiō ad certum
ac limitatum tempus facta est sine designatione itineris, risico cur-
rit a momento ad momentum, et assecrator, quando tempus de-
finitum effluxit, omnino liberatur *a*), licet iter tempestatibus vel
alio quouis modo pendente cursu impediatur. Independentē etiam
hoc casu assecratiō se habet a viaggio nauis; veniente enim tem-
pore praefixo assecratiō expirat, licet nauis iter vel viaggiū de-
stinatum nondum peregerit *b*). Si ante tempus praefixum finiatur,
assecratus nouum iter facere potest, usquedum tempus praefixum

in

a) HAMB. A. O. T. 5. a. 15. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6.
a. 34. EMERIGON ch. 13. sect. 1. §. 1.

b) HAMB. A. O. T. 5. a. 15. CASAREGIS dicit. 67. n. 131.

in totum elapsum fuerit. Computantur in hoc genere assicurati-
onis omnes dies, siue nauis in mare, siue in portu sit, nisi expresse
conuentum, eos tantum computari debere dies, quibus in mari na-
uis sit *c*). Computatur tunc solum tempus, quo nauis in cursu est;
sed de casu, qui tempore intervallo accidit, assicuratores nihilo-
minus tenentur. In hac vero assicuratione ad certum tempus facta
saepe numero quaestio moueri potest, an in casu, quod nauis pereat,
ac tempus interitus ignoretur, assicuratores teneantur. Meo qui-
dem iudicio omnino tenentur. Nauis enim mox post ultimos, qui
de illa ad sunt, nuntios periisse praesumitur, et assicuratores, qui
contrarium contendunt, id probare debent *d*). Diximus, ad ve-
niente tempore praefixo expirare assicurationem, licet iter vel
viaggiu nondum sit finitum; sed hoc de illo tantum casu intelli-
gendum, si sine designatione viaggiu assicuratio facta est. Sin asse-
curatio ad certum quidem tempus sed cum designatione itineris facta
est, assicurator non nisi toto itinere peracto liberatur, etsi tempus
definitum iam pridem efflaxerit, quo tamen casu praemium auge-
tur *e*). Sed haec designatio itineris in polizza facta nihil impedit,
quo minus pacto speciali possit conueniri, vt tempore elapso asse-
curatores liberentur.

II.

Locuti haecenus de eo casu, si ad certum tempus assicurator
periculum in se suscepit, nunc dicendum nobis erit, quando in

c) EMERIGON ch. 13. sect. 1. §. 3.

d) VALIN Tit. des assurances, art. 58. EMERIGON ch. 14. sect. 4. §. 7.

e) Ordonnance de la marine L. 3. T. 6. a. 35. CASAREGIS disc. 1.
n. 128. POTHIER n. 62.

affecuratione ad certum iter facta risico currere incipiat, et quando finiatur. Olim ratione mercium affecuratarum risico durabat, usquedum ei, qui eas debebat accipere, in possessionem traditae erant. Ratione navis risico initium habebat ab hora et die, quo soluebat, et durabat, donec in destinatum portum appulerat, ibique 24 horas in ancoris steterat a). Sed hodie hac in re alia et a praecedenti plane diuersa regula obseruatur. Incipit enim affecuratio ab eo tempore, quo merces affecuratae ad naualia, aut scaphas, unde et per quas nauis inferri debent, adductae sunt. Finitur periculum, ut primum merces peracto itinere in terram expositae sunt. Si nauis ipsa est obiectum affecurationis, periculum incipit ab eo tempore, quo initium fit onerandae nauis, cessat periculum a momento, quo nauis leuata est. Pleraque sine dubio ordinationes b) periculum affecuratae nauis eiusue apparatus incipere volunt a tempore, quo initium fit onerationis. Nonnullae c) tamen initium risici in tempus statuunt, quo nauis soluerit, et ex praedicto portu profecta fuerit. Finis adest periculi secundum plerasque ordinationes d), quando in totum nauis leuata est. Nonnullae iterum recedunt

- a) *Guidon de la mer* ch. 5. art. 7. ch. 9. art. 17. ch. 15. art. 5.
 b) Ord. v. AMSTERDAM art. 5. PREUSS. S. R. c. 6. a. 18. HAMB. A. O. Tit. 15. a. 12. Formula, qua STOCKHOLMIAE utuntur, idem habet.
 c) *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 5. *Recopilacion de Leyes de las Indias* Lib. 9. T. 39 Ley 56. Formula, quae in ciuitate BILBO in vfu est, cum his ordinationibus conuenit.
 d) Ord. v. ROTTERDAM a. 47. Ord. v. AMSTERD. a. 5. PR. S. R. c. 6. a. 18. HAMB. A. O. Tit. 5. a. 12. Formulae, quae HANNAE et STOCKHOLMIAE in vfu sunt, idem continent.

cedunt. Aliae *e*) risico finire volunt, quando naus in destinatum portum intraverit, ancoras eiecerit, et post primam ancoram eiectam 24 horae effluxerint. Aliae *f*) vero, quando naus in destinato portu ancoras eiecerit. Teque aggeri (*quay*) apposuerit. Ratione mercium asecuratio incipit a momento, quo a terra separantur *g*). Ordinationes autem nec non formulae nonnullae hac in re alia regula utuntur, et quidem aliis in locis risico iam incipit eo tempore, quando merces in eum locum, unde in scaphas immittuntur, (*Kay*) transportatae sunt *h*); in aliis vero tunc demum, quando in nauem ipsam oneratae sunt *i*), quibus in locis itaque ob casus in scyphis, quibus merces ad nauem transportantur, contingentes asecuratores non tenentur. In fine periculratione mercium asecuratum determinando ordinationes fere omnes *k*) conueniunt. Li-
beran-

e) *Recopilacion de Leyes de las Indias*. Lib. 9. T. 39. Ley 56. Quam formulae in ciuitate BILBAO, VENETIIS ac LONDINI usitatae conueniunt.

f) *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 5.

g) *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 5. PR. S. R. c. 6. a. 18. HAMB. A. O. Tit. 5. a. 11. *Recopilacion de Leyes de las Indias* Lib. 9. T. 39. Ll. 14. 37. 54. Formula GADIBVS usitata etiam haec continet.

h) Ord. v. MIDDELB. a. 11. Ord. v. ROTTERD. a. 46. Ord. v. AMST. a. 5. Polizza ANTWERPIENSIS nec non HAFNIENSIS ET STOCKHOLMIENSIS idem continet.

i) secundum formulas LONDINI ac VENETIIS usitatae.

k) Ord. v. MIDDELB. a. 11. Ord. v. ROTTERD. a. 46. Ord. v. AMST. a. 5. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 5. PR. S. R. c. 6. a. 18.

berantur nempe assuretores, quamprimum merces in destinato loco in terram expositae atque saluae sunt absque vlllo detrimento et incommodo. Secundum formulam HAFNIAE vsitatam risico durat, donec naus in destinatum locum aduenerit, merces absque vlllo detrimento exoneratae, atque assuretrato vel eius mandatario traditae fuerint. secundum polizzam, quae VENETIIS in vsu est, risico durat 24 horas, postquam naus in destinato portu ancoras eiecit.

III.

Ex dictis perspicitur, regulariter finiri risico, tam nauis, quam mercium assuretarum, quando exoneratio facta est. Assuretrati ergo quodammodo finem periculi morari possunt. Ne hac facultate abutantur, pleraeque ordinationes cauerunt. Determinauerunt enim tempus, intra quod naus post aduentum eius in portum destinatum sit exoneranda, et liberant assuretorem, si intra hoc tempus non sit leuata. Sed quum saepissime terminus perbreuis sit praescriptus, et variae causae exonerationem impedire possint, quam strictissime haec legum dispositio applicari nequit a). Legum vero dispositiones hac in re tam diuersae sunt, vt non abs re alienum mihi

18. HAMB. A. O. T. 5. a. II. *Recopilacion de Leyes de las Indias*. Lib. 9. T. 39. L. 38. 54. Formula ANTWERPIENSIS, LIBVRNENSIS, HAFNIENSIS, STOCKHOLMIENSIS, nec non illae, quae LONDINI, GADIBVS et BILBAO in vsu sunt, dictis ordinationibus quadrant.

a) MAGENS *Versuch von Asscuranzen, Hauereyen und Bodmercyen*. cap. 34.

mihî visum sit, omnes ac singulas proferre. Aliae enim certum terminum, intra quem naus leuanda, praescribunt, aliae modo praecipiunt, vt quam primum naus leuetur. Ratione termini praescripti rursus legum dispositiones variant. Vbi vero leges vel nihil disposuere, vel nullum certum terminum praescripserunt, attamen affecurato minime datur facultas pro lubitu exonerationem retardandi. Si probari potest, eum naui esse abvsum veluti ad custodiendas merces, affecuratores omnino ab onere ferendi periculum liberi sunt *b)*. Ordinationes, quae hac in re certam dispositionem fecere, sequentes enumerari possunt. *Ordo Rotterod. c)* praescribit, vt post aduentum naus in portum destinatum affecuratores 14 dies operarios obligati maneat, post hoc tempus liberentur; sin ante hoc tempus naus in totum leuata sit, iam hoc tempore, quo scilicet naus leuata sit, obligatio eorum cesset. *Ordo Amst. d)* praescribit, vt, si affecurati merces exonerare negligant, ac naui ad custodiendas merces abviantur, risico affecuratoris finiatur 15 die post aduentum naus in portum destinatum, nisi legitima adsint impedimenta, ob quae exoneratio fieri non potuisset, quod in casu damni ab affecurato probari debeat. Et in affecuratione naus eadem ordinatio praescribit, vt finiatur 21 die, postquam naus in destinatum portum aduenerit, aut, si prius ab omnibus mercibus leuata sit, risico et prius cesset. In BORUSSIA ordinatum est, vt, nisi conuentum sit, intra quot dies exoneratio fieri debeat, in naue 50 lastrorum

b) BALDASSERONI P. IV. Tit. 9. §. 31,

c) art. 49.

d) art. 5.

florum post 6, in nàue 100 lastrorum post 10, et in nàue his majori post 14 idoneos ac operarios dies, postquam in portum destinatum nauis aduenerit, affecuratores ab onere ferendi periculum liberentur e). Secundum *ordinationem Hamb.* exoneratio quamprimum fieri debet f). Si exoneratio sine iusta causa retardetur, vel nauis ad eum finem vtantur, vt ex aliis nauibus illi immittantur merces, quae ex illa in terram aut alias naues transportentur; vel semel oneratae merces sine necessitate in alias naues aut in terram transportentur, affecuratores non tenentur g). Secundum *ordinationem 1750 in SVECIA latam h)* intra 15 dies continuos post aduentum nauis exoneratio fieri debet. Post hunc terminum affecurator intuitu mercium oneratarum liberatur, nisi legitima interuenerint impedimenta, quae exonerationem retardassent. Per longius tempus, quam 21 dies, risico non durat, etsi exoneratio intra hoc tempus nondum fiat. Si intra breuius teupus, quam 15 dies, exoneratio fiat, affecurator, tam ratione nauis, quam ratione mercium, liberatur ab onere ferendi periculum eo die, quo nauis leuata est. Secundum *ordinationem Antuerpiensem i)* affecuratus quam primum nauem exonerari curare debet. Post 15 dies risico affecurato currit.

e) PREVSS. *Scer.* c. 6. a. 18.

f) Tit. 5. art. 11.

g) Tit. 5. art. 13.

h) SCHWED. A. O. art. 5. §. 19.

i) art. 13.

rit, nisi legitima adsint impedimenta, quae in casu damni probanda sunt. In formula, qua HAFNIAE vtuntur, in illanon minus, qua navis affecuratur, quam in ea, qua merces affecuratur, postquam finis risici determinatus, additur: *et risico duret tantum 15 dies, postquam in destinatum portum navis aduenerit.* Hae praecipuae sunt ordinationes, quae terminum exonerandae navis determinauerunt. Sed omnino valent determinationes particulares in polizzis factae, quae illis legum dispositionibus derogant.

IV.

Ex supradictis perspeximus, initium onerationis mercium initium quoque risici esse. Casus vero varios cogitare possumus, vbi hoc aliter se habet. Merces in naue, quae Londino Gades proficiscitur, a portu Amstelodami, vbi in itinere intrare debet, vsque ad Gades affecurari possunt. Et si in affecuratione hac affecuratio Londini facta sit, risico tamen a portu Amstelodami incipit. Si merces affecuratur a certo loco ad certum locum, affecuratio semper incipit a determinato loco, licet oneratio iam pridem in alio facta sit *a*). Nihil enim interest, vbi merces sint oneratae, modo loca a quo et ad quem sint determinata. Tunc enim affecuratores tenentur de illis casibus, qui inter haec loca contigerunt. Sin affecuratio facta super mercibus in certo ac determinato loco onerandis, (ita vt designetur non modo vt terminus a quo, sed et vt locus, vbi oneratio fieri debeat) non valet affecuratio, si in alio

a) EMERIGON ch. 13. fact. 7.

alio loco oneratae fuerint *b*). Inter loca vero in polizzis designata, ubi navis oneranda ac leuanda est, comprehenduntur quae circumiacentia, ubi oneratio et exoneratio fieri solet *c*).

Saepe numero etiam accidit, ut asecuratio eo fiat tempore, quo navis non solum onerata est, sed et iter destinatum iam suscepit. Quo casu asecuratores omnino tenentur de damno ante subscriptionem polizzae factio, nisi asecuratus iam de eo notitiam habuerit, vel verosimiliter haberi potuerit *d*). Secundum leges plerasque *e*) praesumitur, asecuratum casum finitrum iam sciuisse, si computatis tribus milliariis pro duabus horis, vel secundum nonnullas pro tribus horis, a loco, ubi casus contigit, in loco, ubi asecuratio facta, tempore contractus nuntii haberi potuerint. Praesumptio haec est iuris et de iure, nec probationem in contrarium admittit. Asecuratio eo casu nulla est, licet re vera asecuratus casum ignorauerit, nisi polizzae clausula sit inserta: *auf gute oder boese Zeitungen f*), qua clausula adiecta asecuratori autem semper integrum est, alio modo notitiam asecurati de casu vel damno factio probare.

V.

- b*) CASAREGIS disc. I. n. 105,
c) *Recopilacion de Leyes de las INDIAS*. Lib. 9. T. 39. L. 14. 37.
Ord. v. AMSTERD. a. 4. *MAGENS. Versuch.* cap. 36.
d) *Ord. v. AMST.* a. 11. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 38.
e) *Ord. v. AMST.* a. 12. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 39.
Recopilacion de Leyes de las INDIAS L. 9. T. 39. Ley. 7. *Ord. v. ROTTERD.* a. 35
f) *Ord. v. AMST.* a. 12. *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 40.
Ord. v. ROTTERD. a. 36.

D 3

Risiko rei assicuratae cessat, quam primum peracto itinere exoneratio facta est. Si secundum polizza[m] nauis, *vel in hunc, vel in illum locum*, ire debet, assicuratio finitur, ut primum nauis in vnum ex his locis advenit, ibique, etsi pro parte tantum, exonerata est. Sin polizza expressum *in hunc et in illum locum*, et nauis in unum ex his locis advenerit, ibique pro parte exonerata sit, risiko nondum cessat, sed assicurator manet obligatus, donec et in alterum locum nauis advenerit, ibique omnes merces exoneratae fuerint a).

Ut vero assicurans vsque ad finem itineris obligatus maneat, ante omnia requiritur, ut iter vel viaggium destinatum non mutatum sit. Mutatio haec est vel mutatio viaggii, vel deviatio s. mutatio itineris. Mutari viaggium dicitur, si a prima destinatione magister nauis recedit, nec amplius intendit illuc ire, quo sibi eundem proposuerat. Mutatur autem iter, si nauicularius retinens quidem fixum et iniectum animo primae directionis propositum rectam tamen, quae ad locum destinatum tendit, viam vel lineam deserit. Viaggium si absque consensu assicurantium immutetur, contractus assicurationis resolvitur, et assicuratores ab onere ferendi periculum prorsus liberantur b). Contractus enim hic strictissimi iuris est, nec patitur extensionem de loco ad locum, de casu ad casum, de re ad rem, de naui ad nauim. Quod semel conuentum, de eo si-

a) HAMB. A. O. T. 3, a. 10. SCHWED. A. O. art. 6, §. 7.

b) BALDASSERONI, P. IV, T. 5, §. 6.

sine consensu vtriusque partis recedere non licet; alioquin nullitas totius negotii efficitur. Hinc si viaggium immutetur, sinister casus nulla habita ratione loci, in quo nauls illum passa est, factus dicitur in destinatione viaggii profus ab eo diuersi, quod fuerat conuentum, et affecuratores ab omni obligatione soluti intelliguntur. Licet ergo naus semel nouum viaggium suscipiens rursus rectam ac designatam prosequatur viam, affecuratio tamen non reuiuiscit *c*). Si mutatio facta est eo tempore, quo risico currere nondum incepit, praemium affecurato restituitur detracto *i. pr. C. d*). Sin durante itinere mutatio fiat, affecurator quidem ab onere ferendi periculum liberatur, praemium autem minime restituitur, sed integrum affecurator lucratur *e*). Hoc enim casu iam per aliquod tempus, scilicet usque factam mutationem, periculum tollit; et ad praemium integrum acquirendum nihil aliud requiritur, quam vt risico semel currere inceperit, licet quam primum finiatur. Si itaque viaggium abbreviatur, praemium tamen integrum affecuratori cedit *f*). Imo illud lucratur, etiamsi naus quamprimum in portum reuertat, aut nondum portu exierit, sed merces modo oneratae mox in terram exponantur *g*). Incipit enim iam eo tempore risico, quo merces in nauem vel scaphas inferuntur, nisi ob legem specialem vel

c) EMERIGON ch. 13. sect. 16.

d) *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 37. CASAREGIS disc. 67. n. 24. EMERIGON ch. 13. sect. 11.

e) *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 27.

f) *Ordonnance de la marine* L. 3. T. 6. a. 35. BALDASSERONI P. IV. T. 5. §. 28.

g) VALIN art. 37. p. 88. BALDASSERONI P. IV. T. 5. §. 31. EMERIGON ch. 13. sect. 12. §. 1.

vel pactum aliud obseruandum. Si reditio nauis in portum aut mercium exoneratio ex causa necessaria facta sit, integrum est assicuratis, merces rursus inferre in illam nauem viaggiumque destinatum prosequi, et contractus assicurationis vim suam retinet. Sin ex causa voluntaria facta, assicuratores ab omni obligatione liberantur praemiumque retinent.

Abbreuiare viaggium (ita vt nauis primam quidem sequatur directionem, sed in loco leuetur propinquiori, quam in polizza determinatum) assicuratus valet; sed extendere illud ultra terminum praescriptum sine consensu assicuratoris nequit *h*). Viaggium autem si extenditur, risico durat vsque altitudinem loci in polizza expressi, vel vsque ad locum vel punctum, quo via assicurata a postea suscepta separatur *i*).

Mutatio itineris *l*, deuiatio sine necessaria aut iusta causa facta finis assicurationis est. Assicuratores non amplius tenentur, quouis postea loco damnum contingat *k*); praemium autem integrum illis est acquisitum. Supponitur autem secundum plerasque ordinationes *l*), vt culpa assicurati deuiatio facta sit; nam si nesciente ac nolente illo iter mutatur, assicuratores omnino tenentur, ac re-

h) Ordonnance de la marine L. 3. T. 6. s. 36. gref-

i) Guidon de la mer ch. 9. art. 12. VALIN. art. 36. Tit. des assurances p. 82.

k) WESKETT Theorie und Praxis der Assuranzzen (ueberetzt von Engelbrecht) P. I. p. 73.

l) Ord. v. ROTTERD. a. 52. Ord. v. AMST. a. 6. SCHWED. A. O. a. 5. §. II.

gressum contra nauarchum habent. In Anglia autem assuretores liberantur semper, siue nescientibus assurentis mutatio facta sit, siue illis volentibus *m*). Damnum ante deuiationem factum restitui debet *n*); intentio enim sola deuiandi obligationem assuretoris non tollit, quod quodammodo in mutatione viaggii aliter se habet *o*). Deuiatione ex aliqua iusta vel necessaria causa facta veluti ob refectiorem nauis, ad hostes euitandos, ob maris tempestatem, ad vectigal illicitum euitandum omnino assuretores tenentur *p*). Ut hac in re maiori libertate vtatur magister nauis, in multis polizis prospicitur. Inseritur enim saepissime clausula, qua facultas datur nauarcho ad dextram et sinistram, antrorsum et retrorsum navigandi, quascunque scalas, quoscunque portus ingredi pro placito et voluntate ipsius. Haec siquidem clausula non adjicitur, vt nauarchus seu assurentis viaggium, pro quo fuit conuenta assurentio, immutare possit, sed vt tantum diuertere possit iter, quantum inseruiat facilliori et tutiori navigationi, vt ad euitandum naufragium siue piratarum depraedationes, siue aliud infortunium, vel alimentorum et aquandi causa, vel quod negotii necessitas et opportunitas id exigunt, in magistri nauis arbitrio repositum sit, quomodo cursum dirigere, quascunque scalas, quoscunque portus ingredi velit.

VI.

m) WESKETT c. 1.

n) WESKETT P. I. p. 75.

o) WESKETT, P. II. p. 95. 96. ROCCVS. not. 20.

p) ROCCVS not. 52. 93. POTHIER B. 51. STRACCHA *de nauibus*. P. III. n. 8.

VI.

Diximus haecenus de eo casu, si pro itu solummodo asecuratio facta est, quod in dubio praesumendum *a)*, nunc consideranda nobis est asecuratio pro itu et reditu naus simul facta. Si ab uno eodemque asecuratore naus pro itu ac reditu simul asecuratur, risico secundum pleraque ordinationes *b)* durat, donec in primum locum, unde profecta est, naus redierit, ibique exonerata fuerit, adeoque et per illud tempus risico currit, dum in destinato portu, etsi in totum exonerata, manet. Si plures asecuratores nauim asecurauerunt, ita ut alter per itum, alter per reditum periculum suscipiat, huic posteriori, qui reditum asecurauit, risico secundum ordinationes pleraque *c)* currere incipit a momento, quo in destinato portu merces in nauem transportatae sunt, et ille alter liberatur, etsi merces, quibuscum aduenit naus, nondum omnes exoneratae sint. Durat risico, donec naus in locum, unde ab initio profecta est, redierit, ibique in totum leuata fuerit.

a) VALIN Tit. des assurances, art. 7, p. 48.

b) Ord. v. AMST. a. 5. SCHW. A. O. a. 6. §. 6.

c) HAMB. A. O. Tit. 5, a. 14. SCHW. A. O. a. 6. §. 5.

Corollaria.

- I. *Indultum moratorium debitori concessum prodesse et fideiussori veriore, puto, esse sententiam.*
- II. *Qui alienam obligationem in se recepit sub verbis als Selbstschuldner, in dubio est qua fideiussor considerandus.*
- III. *Prorogatio termini solutionis fideiussorem nec ulla ratione liberat.*
- IV. *Creditore debitoris hereditatem cum beneficio inuentarii adeundo fideiussores conueni confussionis gaudent exceptione.*
- V. *Exceptio non numeratae pecuniae in chirographo super mutuo dato elapso biennio exulat.*
- VI. *Negotiorum gestorem mediam in dubio duntaxat praestare diligentiam, et ex legibus, et ex ipsa rei natura, potest probari.*

VII. *Minore resituto in integrum, fideiussores non sunt resituendi,*

VIII. *Super re iudicata non transigitur.*

IX. *Iudicis est ferre sententiam secundum allegata et in iudicio probata, minime autem licet secundum propriam iudicare scientiam priuatam.*

X. *Ex feudo exigendi legitimam nulla datur filiabus facultas*

XI. *In feudo nouo pater Vasallus inter liberos successionem inaequam consentiente etiam domino directo ultima voluntate constituere nequit.*

XII. *Foemina per masculum semel exclusa non videtur esse semper exclusa.*

Kg 4999. 3^{to}

ULB Halle
004 526 201 3





f

5b

1017







4

OBSERVATIONES INAUGURALES IURIDICAE
DE
CONTRACTV
ASSECVRATIONIS

QV AS
SVB AVSPICIIS REGIIS
AVCTORITATE
INCLYTI IVRECONSULTORVM ORDINIS
DIE XXVII. OCTOB. MDCCLXXXVIII
AD
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES OBTINENDOS

PVBLICE DEFENDET
FRIDERICVS HERMANNVS OTTO
BREMA-SAXO

GOETTINGAE,
Litteris BARMERIANIS.